

bonas, Cambam, molendinum, silvam magnam. Nam ecclesia ejusdem villæ cum bono dotalicio, privilegia et constitut, scilicet terra et silva eidem monasterio antiquitus fuerat data; hæc omnia invicem sibi tradiderunt abba cum consensu monachorum utrorumque cœnobiorum, et comes cum consensu uxoris et filiorum et amicorum suorum, et coram celsitudine nostra eamdem commutationem firmaverunt, et idem comes per testes idoneos ramum cum cepite ad altare Stabulaus misit, et traditionem cum vestitura

legaliter fecit. Et ut hæc cummutatio futuris temporibus firmior habeatur, petitione ejusdem abbatis manus nostræ tractu signavimus. Signum Werinfrindi abbatis. Sign. Werinmundi, Titgeri, Norberti, Reginardi et cæterorum. Et alterius monasterii. Signum Odulfi, Wisirici, Heilfridi, Rogibaldi. Sign. Warneri comitis, Reginardi, Gevardi, et Richarii, et multorum. Acta sunt hæc publice Aquis palatio die 11 Kalend. Novembris, regnante rege Ottone fratre nostro, anno xviii, Godefrido duce.

ANNO DOMINI DCCGCLXV.

LEO VIII ANTIPAPA

NOTITIA HISTORICA.

(Gocquelines, bullar., privileg. summ. pont. ampl. Collect.)

In Romana Synodo deposito Joanne XII sanctæ Romanæ Ecclesiæ die vi Decembris anni 963, Leo VIII protoscriniarius in ejus locum ordinatus est, quem tamen Romam rediens, sequenti anno, Joannes post Othonis imperatoris recessum fugere coegit, usurpatamque dimittere dignitatem. At cum Joannes die xiv Maii obiisset, Romani Benedictum, de quo mox dicemus, sine Othonis consensu et voluntate, apostolicæ sedi imposuerunt. Quare imperator cum Leone Romam perrexit, factoque conciliabulo, Leo pallium Benedicto abstulit, et simul pontificalem ferulam, quam fregit et iterum pontificiam sedem invasit, quam unum annum tenuit tresque menses.

LEONIS VIII

ANTIPAPÆ

PRIVILEGIA ET CONSTITUTIONES.

I.

LEONIS VIII EPISTOLA AD RODOALDUM PATRIARCHAM
AQUILEIENSEM.

(Anno 963.)

Illi pallium mittit.

[Apud Ughelli, *Italia sacra*, V, 44.]

LEO episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo ac sanctissimo confratri nostro RODOALDO, sanctæ Aquileiense Ecclesiæ patriarchæ.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, et ut ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant, quanto nos sudore quantaque cura debemus esse pervigiles, qui pastores animarum dicimur. Attendamus, et susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro desidia nostra ante summum Pastorem negligentiae reatus excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter cæteros judicamur. Pallium autem fraternitati vestræ ex more ad missarum solemniam celebranda transmisimus; quo tibi non aliter, Ecclesiæ tuæ privilegiis in tuo statu manentibus, uti concedimus,

quam prædecessores decessoresque tuos usos esse incognitum non habetis. Cujus quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur ut et morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus, auctore Deo, recte utrobique, possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula. In ipsa, si qua fortitudo illis injecta est, dirigantur; in ea quod imitentur aspiciant; in ipsa semper considerando proficiant, ut tuum post Deum videatur esse bene quod vixerint. Cor ergo neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant. Sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur. Nullum apud te locum odia, nullum favor indiscretus inveniat. Districtum mali cognoscant. Insonem apud te suggestio mala non faciat. Nocentem gratia non excuset; remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod ultus non fueris, perpetrari permittas; sit in te boni Pastoris dulcedo; sit et judicis severa districtio. Unum scilicet quod innocenter viventes foveat, aliud quod inquietos ferocientes a feritate compescat. Sed quoniam nonnunquam præpositorum zelus, dum districtus malorum vult vindex existere, transit in crudelitatem correptio, iram judicio refrena, et censura